Universitätsbibliothek Paderborn

Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum, Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute, Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Joannes de Lepage. n. 26

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

Visual Library

26. A Ioanne Lepage *In Bibliotheca ſua Præmonſtratenſis Ordinis*: Nobiliſſima (*inquit*) & celeberrima illa Societas Iesv, quæ quot Collegijs conſtitutis in Orbem diffuſa fuit, tot velut lucidiſſimis doctrinæ, & ſapientiæ luminibus Mundum vniuerſum illuminauit, tenebraſque illas Cimmerias illi offuſas laudabiliter diſpulit. *Ita in Imag. 1. ſæc. Soc. lib. 5. cap. 11. fol. 679. Qui Auctor, vt videtur ſub eodem Ordine militauit.*

Nobiliſſima, ac celeberrima.

Collegijs velut lucidiſſimis luminibus mundum illuminans.

A CISTERCIENSIBVS.

27. * A Lvdovico Estrada *Abbate de Guerta digniſſimo, qui Societatem per Hiſpaniam mille calumnijs impetitam longiſſimo ſcripto Apologetico protexit, ex quo pauca ſeligam, quæ eius animi ſenſum, & noſtræ Religionis exiſtimationem clarius manifeſtant.* Quibus (*inquit*) lacrymis illorum cæcitatem deplorabimus, qui priuatim, ac publicè aduerſus Societatem perſecutiones commouent? Hos ſane lamentabatur Propheta cum dicebat: Væ vobis cæci, qui dicitis bonum malum, & malum bonum, & qui habetis lucem tenebras, & tenebras lucem, *&c. Et infra.* Qui dixit Ieſuitas Lutheranos eſſe, inter fatuos planè imò & fræneticos annumerandus: ſicut enim lux opponitur tenebris ita Ieſuitarum Inſtitutum, Lutheranorum inſtituto contradicit. *Et inter alia quibus id probat latè æquè ac erudite per vtrorumque vitæ rationem diſcurrens, ait*; Lutherani fide contenti, opera reſpuunt, Ieſuitę verò charitatis operibus feruentes adeo ſunt, vt maiori ex parte eos videas, cõfeſſiones fideliũ audientes, adminiſtrantes Euchariſtię Sacramentum, odia componentes, infirmis ſeruientes, verrentes Hoſpitalia, moribundos adiuuantes, mortuos ſepelientes, in obedientiæ obſequium magnis laboribus peregrinantes, *&c. Et poſt pauca*; Mihi in animum ſemper induxi ſpecialem fructum à Deo intentum in huius Religionis fundatione,

Defenſa Apologetico perhonorifico.

Eius Inſtitutum Lutheranorum Inſtituto ſicut lux tenebris contradicit.

Nouũ ſubſidium aduerſus Lutheranam hæreſim militans.